

primum illud quasi fundamentum est omnium, ut appetitus rationi pareat: secundum et tertium, idem est, hoc est, in utroque moderatio. Vacat enim apud nos speciei liberalitas, quae pulchritudo habetur, et dignitatis contemplatio. Sequitur de ordine rerum, et de opportunitate temporum. Ac per hoc tria sunt, quae videamus, utrum in aliquo sanctorum consummata possimus docere. Primum igitur ipse pater Abraham, qui ad magisterium futurae successionis informatus et instructus est, jussus exire de terra sua, et de cognatione sua, et de domo patris sui,¹⁾ nonne multiplicatae necessitudinis praestrictus affectu, tamen appetitum rationi obedientem praebuit? Quem enim terrae suae, cognationis, domus quoque propriae gratia non delectaret? Et hunc ergo mulcebat suorum suavitas; sed imperii coelestis et remunerationis aeternae consideratio movebat amplius. Nonne considerabat uxorem imbecillem ad labores, teneram ad injurias, decoram ad incentiva insolentium, sine summo non posse duci periculo? Et tamen subire omnia, quam excusare consultius judicavit. Deinde cum descenderet in Aegyptum, monuit, ut diceret se sororem esse, non uxorem ipsius. Adverte, quanti appetitus. Timebat uxoris pudori, timebat propriae saluti, suspectas habebat Aegyptiorum libidines, et tamen praevaluit apud eum ratio exequendae devotionis. Consideravit enim quod Dei favore ubique tutus esse posset: offenso autem Domino, etiam domi non posset illaesus manere. Vicit igitur appetitum ratio, et obedientem sibi praestitit. Capto nepote, non perterritus, neque tot regum turbatus populis, bellum repetit:²⁾ victoria potitus, praedae partem cujus ipse fuit auctor, recusavit. Promisso quoque sibi filio, cum consideraret emortui corporis sui vires depositas,³⁾ sterilitatem conjugis, et supremam senectutem, etiam contra usum naturae Deo credidit. Adverte convenire omnia. Appetitus

1) Gen. 12. 2) Gen. 14. 3) Jd. 15.